

fusus est vitrioli spiritus: quocum insigniter effervescit, et nonnihil acidi salis communis spirauit, simulque aquae istius destillatae parca portione remixta limpidum exhibuit liquorem, vix manifesti saporis. Qui liquor, cum denuo in patella vitrea exhalareret, subdito lenissimo igne, partim seleniticam reliquit terram, vitriolici acoris et calcareae terrae sole, partim minutissimas crystallos salinas, candidas potiores, viridescentes paucissimas, oculo armato facile eonspiciendas et distinguendas; istas certe ex connubio acidi vitriolici cum alcalino sale minerali in sal mirabile Glauberianum, has vero ex eodem acido cum moleculis martialibus in verum vitriolum martis commixtas. Quibus ergo omnibus ex tentaminibus aperte liquet, singulis aquarum harum Hirschfeldensium libris rectissime adscribi posse, praeter elementum aqueum et aëreum, terrae purae calcareae, quam et alcalinam dicunt, grana quinque cum vna tertia grani parte; salis alcalini mineralis absolute totidem; salis communis vnum granum cum vna eiusdem tertia parte; terrae denique martialis duo grana.

#### §. IV.

#### *Vsus earundem medicus.*

Ad dictorum ergo elementorum (§. III.) rationes attenti, his fontibus inter alcalino-martiales haud



haud infimum vindicabimus locum. Tametsi enim relationum istarum publicarum auctoribus hoc facile concedimus, has nostras acidulas *Egranic*, *Spadanis*, atque *Schwalbacensibus* ob efficacitatem aequiparari non posse h): cum plurimis tamen Silesiacis nostris conueniunt, immo elementorum copia non nullis antecellunt; sicuti ex iam editis popularium meorum commentariolis facile constabit. Ex exterris vero acidulis, si quidem comparationi locum dare vellemus, proxime ad *Hofgeismarienses*, in Hassia scatentibus, accedunt, Hac ex collatione etiam haud difficulter definiri poterit, quibusnam potissimum aegrotantibus profuturus sit horum fontium usus? Quod si enim ea accurate perpendimus, quae hoc super argumento saepe iam honorifice excitatus JOSEPHVS GIESCHE i) luculenter explicuit, haud difficile erit intellectu, utrumque hunc fontem Hirschfeldensem, siue poterit, ad ipsam praesertim scaturiginem, dum aereo subtilissimo elemento adhuc abundat, siue destinetur balneo, partim ex resoluente acidamque colluuiem coercente efficacitate fore commendatissimum. Idoneas ergo hoc nomine aestimamus has acidulas confirmando ventriculi intestinorumque robori, adiuuandae solidarum

b) Ita alia referunt: *Wegen des sehr wenigen und flüchtigen Spiritus mineralis sind sie mit dem Egrischen, Spaa und Schwalbacher nicht zu vergleichen.* i) In *dissertat. citat. §. III.*

darum fibrarum elasticitati, tuendaeque earundem  
 irritabilitati, alleuandis omnibus singulisque varia-  
 rum secretionum negotiis, dispellendisque diuersis  
 morbosis congestionibus. Emendabunt porro va-  
 rias humorum deprauationes, et multiplicita eorum  
 inquinamenta diluent, immutabunt, et per  
 congrua colatoria expellent. Proinde, nostro qui-  
 dem iudicio, rectissime *relationum* saepe iam *citata-  
 rum auctores* existimarunt, adfirmantes: hos fontes,  
 vi suorum elementorum, in primis si ex ipsis scaturi-  
 ginibus potentur, haud poenitendi fore usus in ro-  
 borandis fibris laxis, tollendisque, quae inde ortae  
 sunt, vasculorum obstructionibus, variisque morbis  
 hinc deductis; verbi causa, hysteralgia, affectu hy-  
 pochondriaco, melancholia, et ceteris. Fore etiam,  
 ut a natura viribusque acidularum Egranarum pro-  
 prius absint nostrae aquae, alii que negotium prom-  
 tius expediant, si modica portione Egrani salis per-  
 misceantur. Haec illi. Externi denique usus ad-  
 modum proficui exemplum adiungere placet, quod  
 in saepe recurrente ophthalmia serosa ipse *Praeses  
 noster* obseruauit. Feminae enim, hoc malo fre-  
 quenter laboranti, panniculi lintei, his acidulis ma-  
 defacti, et per noctem, quatuordecim circiter die-  
 rum spatio, oculis impositi, molesta haec oculorum  
 incommoda penitus sustulerunt.